

## Praefatio.

*Codices* digni, qui ad Euripidis Medeam recensendam adhibeantur, sunt hi:

*B* = codex Vaticanus 909, bombycinus saeculi XIII. continet Hecubam, Orestem, Phoenissas, Medeam, Hippolytum, Alcestin, Andromacham, Troades, Rhesum cum scholiis et glossis. multifariam correxit manus prima (*B*<sup>1</sup>). postea correxerunt variasque lectiones adscripserunt manus secunda et tertia codicem secutae, qui simillimus erat *S*. quae cum saepissime discerni vix possint, eas una nota (*b*) significavi. signo *b*<sup>s</sup> indico *b* (vel cum vel sine *γρ.*) literas vel vocabula superscripsisse. librum contulit olim Elmsleius. equidem novam collationem debeo Carolo Dilthey. multos locos ac praecipue eos, quibus Elmslei et Dilthei collationes inter se discrepabant, inspexit Hugo Hinck.

*E* = codex Parisinus 2712, membranaceus saeculi XIII. insunt praeter Sophoclis Aristophanisque fabulas septenas Euripidis Hecuba, Orestes, Phoenissae, Andromacha, Medea, Hippolytus cum glossis et scholiis brevissimis. permulta manus prima (*E*<sup>1</sup>) correxit et in rasura scripsit, pauca eo minio correctae et additae sunt, quo glossae et personarum notae scriptae sunt. a manu prima interdum distinxi manum secundam (*E*<sup>2</sup>), cui fortasse nonnullae correcturae debentur, quas *E*<sup>1</sup> tribui. praeterea complures manus recentiores literas et vocabula inter versus et in margine scripserunt. codicem obiter inspexerunt olim Musgravius et Brunckius. equidem fabulas Euripidis et Sophoclis, cuius editionem praeparo, anno 1868, Euripidis denuo